[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I

Melk, 1889 Seite XII

Quelle:
Copyright:

possit consuli. Ex quo anno hi libri locis in scriniis bibliothecae mutatis invita, ut videntur, Minerva in novi indicis formam redacti sunt, continuus numerorum ordo quasi vinculum quoddam, quod solvi non potest, constituit idque alienissimum ab eo, quo antea ligari consueverant. Quae signatura e littera maiuscula adiecto numero constabat et inde a Burckhardi aetate in usu erat, eam, licet eius vis hoc tempore evanuerit, eo consilio novae signaturae parenthesi interclusam addendam esse putavimus, ut praesto esset iis, qui aut Stephani Burckhardi aut, quod crebrius eveniet, Bernardi Pez vel Martini Kropff indicibus uterentur.

In primo huius catalogi volumine, quod manibus habemus, 234 bibliothecae nostrae codices MSS. accurate describuntur; in quibus describendis id maxime observatum est, ut quae de iis scitu digna sint, quantum quidem innotuerint, singula adferantur: quo tempore, in qua materia, qua litterarum forma, quo colore sint scripti; utrum singulis an binis lineis, una an pluribus manibus sint exarati, qua ratione factum sit, ut Mellicensium fierent. Neque id quidem addere omissum est, si quando fragmenta quaedam litterarum codicum tegminibus vel ab interiore vel ab exteriore parte adiecta sunt. Ubi ad rem propositam conducere visum est, post Explicit, quod dicunt antiquae rei librariae periti, codicis additum est, si quid aut de vita aut de scriptis auctoris, de quo sermo est, in libris recentioris aetatis legitur.

Restat, ut de hoc catalogo arte typographica in publicam lucem emisso paucis disseramus. Quae in capite et in calce huius libri cernuntur aliisque locis includuntur imaginum formae a Jos. Schoenbrunner, cui nobilissimo picturae linearis artifici thesauri illius imaginum aeneae laminae ope expressarum, qui Vindobonae servatur et ab artis peritis Albertina vocatur, custodia concredita est, lineis adumbratae et opera F. W. Bader xylographi mira munditia in ligno de-